Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36570
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

nulli dare poterat. Iohanne uiuente christus uenit qui et peccata relax-
Iohes are et regnum celorum dare ualuit. Mortuo uero ihesus noster saluator
principatum suscepit. qui per lauacrum fidelium per baptisma uitam uiuentium
in hac. Deciso enim iohanne ipse primus et publice predicauit signis mun-
dum illustrauit. Duos exploratores ad iericho misit. quia legem et euangelium
in mundo predicari docuit. Quos raab suscepit quia ecclesia de gentibus
utriusque testamentum recepit. Rex autem ciuitatis uoluit eos perimere quia
diabolus per membra sua scilicet persecutores et hereticos nisus est utramque legem
destruere et obseruatores earum perdere. Sed raab eos admittente remittit quia
ecclesia predicatores et obseruatores sacre legum ad christum remittit. Iericho
subruitur et domus raab cum coccineo fune eripitur quia hic mundus
igne soluitur et ecclesia cum omnibus suis per purpura sanguinis christi
de excidio ad regnum tollitur. Principi de tribu iuda raab copulatur
quia ecclesia tunc christo uero principi omnium de tribu iuda orto feliciter spon-
sa associatur. Tunc possessio sorte distribuitur. ipso et regnum celorum
diuisis sortis diuersis mansionibus electis diuidit. Igitur karissimi secundum
iohannem sponsi amicum toto corde deposcamus ut in alba ueste uirtutum
per portam clarissimam christum amenitatem paradisi intrare ualeamus
et cum omnibus sanctis partem eterne hereditatis capiamus. Quam omnes. In natali sancte Marie

EGREDIMINI filie ierusalem et uidete regem salomo-
nem in diademate quo coronauit eum mater sua in die
sollempnitatis et leticie. Filie ierusalem sunt anime fideles
filie ecclesie pacem ueram uisure in celi culmine. Hee iubentur
egredi per mentis contemplationem et uidere regem salomonem scilicet uerum pacificum
christum in gloria patris per sole fulgidum in diademate quo eum mater sua in
die sollempni coronauit. uidetur in carne qua eum mater sua uirgo maria
impertit gratie humano genere generauit. hunc regem ~~debent~~ cum corona [illegible] in
die passionis coronauit. Materiam autem carnis in qua hec pati uoluit de
uirgine matre induit de qua ut sol de aurora processit et lucem eterne
claritatis mundo inuexit. hec est quam dominus benedixit in sua uirtute
dum eam ex omni carne eligens per ipsam apparuit pro mundi salute. Per
ipsam inimicos nostros ad nichilum redegit dum demones humanum genus
ledere fidelibus subegit. Ideo non deficit laus eius de ore hominum quibus ho-
die celestis est et ciuibus angelorum. Ipsa enim est celestis ierusalem gloria et pacis

Et nos debemus in diademate considerare. quod in die sollempni por-
tauit quando eum mater synagoga spinea